

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 25. (*Neovidensis* 1806. Nro. 18.)

*Secretum litterarum commercium vivos inter
ac mortuos.*

Peregrinabundus sodalis sartor salutem
dicit artis suæ magistro in Elysi-
um translato.

Ex diversorio sartorum.

Elysium-Meum.—Die Vener. 18. Martii 1806 (Neov. 28. Febr. 1806.)

Suavissime Magister!

Persæpe refero animum ad tuam per-
sonam, ad tuum os, tuaque verba, atque
his distentus peragro orbem. Tu semper opti-
mo ecas erga me animo, me nonnunquam ab
officio aberrantem, ut ad saniora reduces con-
silia, ita solebas alloqui: — Tu quidem pro-
bus es juvenis, sed cum probitate isthac pa-
rum proficies. O dilecte magister! tuam
prædictionem, in meum maximum malum!
eventus comprobavit. Constantiter adhuc
peregrinor, jamque in exteris oris tricesimum
primum explevi annum, nullibi tamen potui
obtinere magisterium, sive per matrimonium,
sive per domicilium. Equidem uule, & pul-
chrum est hoc in Germania institutum, ut ju-
venes, qui officium quoddam condidicerunt,
dimittantur in varias orbis partes, ibique ar-

tem suam uberius excolant, ut deinde domum reduces, & magistri facti utantur hausta experientia, alienamque industriam in sua patria propagent. Recordaberis, dilecte magister! quanta sæpe nobis de hac, vel illa civitate narraveris, quæ ibi videris, quomodo corpus opificum ordinatum sit, & quomodo magistra cum sodalibus jam placide, jam tumultuose egerit.

Inclyta nostra ars sutoria multiplices habet modos lucri faciendi, pari passu ambulat cum more maxime vigente. Jam in usu est vestis brevis, jam longa, jam angusta, jam laxa, jam simplex, jam texta; mox debet more gallico, mox anglico scindi, & consui. Res mira! in tota nostra patria Germania nunquam adhuc inventus est mos se vestendi, cui fuisset datum nomen *à l' allemande*. Per triginta & unum annum tot, tamque diversos jam vestitus confeci, ut vere gloriari possim, me artem sutoriam ab ovo usque ad novissimum quemlibet morem ex asse didicisse.

At, o peritissime omnium nostræ societatis sartorum magister! quid mihi profuit omnis hæc scientia? Bone Deus! quam infelix est opifex, qui in cognitione suæ artis futuræ vitæ sustentationem collocat. Equidem si habeat in patria patrem, aut propinquos, qui solliciti sunt, ut domum redux possit suum opificium exercere, ita beatus est, ut

nemo
comm
sunt i
vel re
jus fa
orpha
est,
la fa
opific
habe
post
natu
datic
litter
ipsi

sist
ut v
inir
seq
pre
ut
dæ

dif
Te
ca
pi
ve
sit
qu

nemo magis, fit magister, & omnibus affluit commodis domicilium figendi. Sed quot sunt ita fortunati juvenes? De prole, quæ vel relicta est, vel parentibus orba, vel cujus familia ad incitas redacta, vel in civico orphanotrophio, sæpe velut spuria educata est, communiter exclamatur, quid cum illa faciendum? Detur ad tyrocinium alicui opifici. Hic autem docetur, vexatur, male habetur — ut effingatur sodalis; quid vero postea? mittitur in orbem universum peregrinatum sine omni adminiculo. sine commendatione, sine pecunia — solas circumferens litteras opificii, quæ testantur traditam fuisse ipsi artem.

O præstantissime magistrorum! tuis insistendo monitis, omnem impendi operam, ut vel cum aliqua vidua, vel filia magistri inirem matrimonium, sicque magisterium consequerer; verum tanto labore nullum operæ pretium factum; videtur fatum meum esse, ut perpetuus maneam sodalis, & instar judæi æterni huc, illuc oberrem.

Sed quam dura, quam famelica, quam difficilis sit hodie peregrinatio attendito: Tempus belli artem nostram gravi percussit calamitate, homines summa premuntur inopia, qui alias singulis annis novam sibi curaverat fieri vestem, in his rerum angustiis parvitibus, togam veterem tamdiu defert, quamdiu durat, sperans faciliora ventura

tempora, ut novo ornetur indumento. Interim talia tempora magis recedunt a nobis, quam accedant.

Olim volupe erat instituere peregrinationem: Tam ruri, quam in urbibus extabant multa, & pulchra monasteria; hæc sæpenu-mero adivi, pulsavi fores, & ecce prodivit janitor Capucinatorum, ferens bonum jusculum, in eoque frusta carnis, tum panem, frequenteretiam haustum cerevihiæ. Ista erant animum, & vires recreantia tempora. Nunc, svavissime magister! omnia se aliter habent: nonnunquam mihi decem, & amplius domus percursandæ sunt, antequam segmentum panis, vel unum teruncium emendicem.

Tanti clamores erant de jusculo Rumfordiano; omnes æphemerides illud longe, lateque disseminarunt, at hoc esculenti genus præbetur in nonnullis tantum civitatibus, ruri autem, quo mea peregrinatio restricta est, nec vestigium ejus reperitur; Si ex meo palato sincere loquendum sit, jusculum Capucinatorum erat longe melius, magisque nutritivum, atque istud recens inventum. Quotiescunque pertranseo tale monasterium, invito etiam erumpit suspirium, & qui prætervehitur auriga, edens flagello strepitum inquit: — Hic sæpe multi famem cibo depulerunt, nunc autem corrui ædificium, & nemo propterea factus est beatior.

Jam plane ex ossibus paratur glarea pro
 jusculo Rumfordiano, & paulo post contrita
 hæc ossa vendent tabernarii in locum Coffeæ,
 sicque cum omnibus rebus, ipsis adeo pau-
 peribus destinatis exercebatur commercium.
 Heri me in diversorio nostro consistente le-
 ctæ sunt ephemerides Moguntinae, in qui-
 bus mihi prae caeteris arrisit sequens arti-
 culus :

Martinus Lutherus, et Comes Rumford.

Joannes cognomento Paulus, nuperrime
 sermonem injiciens de erigendo in honorem
 Lutheri monumento, conatum hunc supra
 modum laudavit; Interea tamen auctor erat
 Germanis, ut primam statuam ponerent Ada-
 mo, utpote omnium nostrum proto-parenti,
 sine quo multas alias statuas mundus nun-
 quam vidisset; Deinde — existimat Joan-
 nes Paul — posset isthaec progressio con-
 tinuari, neve in ea aberretur, pro exempla-
 ri assumi historia universalis Joannis Matthi-
 ae Schröckh. Tunc ad Adami posteros, Pe-
 trum Magnum, Josephum II. & Martinum
 Lutherum sua sponte veniret ordo, nam si-
 ne dubio descendendo usque ad nostra tem-
 pora cuilibet, qui mereretur, extruendum
 foret monumentum. Profecto tandem ordo
 tangeret etiam Comitem Rumford. Ab hoc
 enim propter inductum novum jusculum, si-
 cut ab illo, qui pulveres invenit pyrios, no-
 vam incipere in Historia epocham, cumque
 de genere humano aequè bene esse meritum,

ac Lutherum, quisque perspiciet, qui rem hanc, ut oportet, discussit. Hoc ipsum observat etiam ille acris ingenii scriptor, qui apposite ad rem in hunc modum disserit: Pro monumento Lutheri, qui nos a paucis tantum jejunii diebus absolvit, omnes Germaniae protestantes cum voluptate contribuant; virum autem, qui omnia jejunia, absque profusione sanguinis, praescripta procoquendo jusculo formula sustulit, hunc, inquam, virum nec lapicidae, nec aeris fusores reddunt immortalem, imo nec poëtae, quibus tamen primo loco consulit. Nisi me omnia fallant, mihi videtur quibusdam in rebus Rumfordius multo major Lutheri. Sola haec circumstantia magni est momenti: Reformatio Lutheri in parte tantum aliqua obtinuit, contra jusculum Rumfordianum in dies magis invalescit. — Et ut modo est in plerisque Europae regnis res pecuniaria, atque status, in quo versamur, etiamsi a Domino Leopoldo Reinhard nuper in elegantibus novis ita feliciter insinuata universalis lingua per Europam non fuerit inducta, licet tamen de quovis pignore pacisci, de mille thaleris pro uno, appropinquare sensim gloriosum illud temporis momentum, quo jusculum Rumfordianum, de quo jam & Protestantes, & Catholici sine discrimine participarunt, ad honorem nationalis jusculi per universam Europam evehetur.

Se
alias r
Elysiu

A
nia u
Decla
Müns
tur A
nia S
pacis
consc
conc
stren
cific
Min
quo
ad
Qua
con
bun
por
tum
con
nut
me
me
hu
pe
bu
mi
bu
du

Sed jam charissime magister! lubet etiam alias res novas ex aliis ephemeridibus tibi in Elysium submittere :

Ab Albi inferiore 15. Febr. In hac vicinia ultimis diebus spes pacis imminuta est. Declaratio Ministri Hanoverani Comitis a Münster refutavit opinionem, qua credebatur Angliam consensisse in factas de Germania Septemtrionali dispositiones. Spes enim pacis huic motivo innitebatur: quod dictus consensus habitus fuerit pro primo actu reconciliationis cum Gallia. Sed etiam postremae ex Anglia allatae litterae tantam pacificationem non annuntiant, quanta a novo Ministerio expectabatur. Huc accedit rumor, quo major numerus copiarum Borussicarum ad arma capessenda paratus esse jubetur. Qua de re variae circumferuntur Berolini conjecturae. Nonnulli hos apparatus adscribunt gravioris momenti litteris Petropoli apportatis, quibus perceptis illud mandatum datum est; Alii futuram autumant expeditionem contra Svecicam Pomeraniam. Denique nuntii ex limitibus Russiae tales sunt, qui nobis metum novi in continente erupturi belli eximerent. Hæc quidem omnia in meris adhuc suspicionibus consistunt, videturque expectanda esse relatio, quodnam pondus habuerit Petropoli novum in Anglia conflatum ministerium; Hæc tamen conjecturae in Hamburgensi curia mercatorum magnas jam produxere mutationes; Eo jam ventum est post

acceptas ultimo tabellario ex Anglia veniente litteras, in quibus asserebatur occupata esse ab Anglis navis Borussica, ut sermo institueretur de hostilibus Angliae adversus Borussiam molitionibus. — Fama quoque Hamburgi percrebuit, plerasque urbes Imperiales in suo statu conservatum iri, haec autem fama didita est ex fonte, Francofurtensi simili. — Senatus Bremensis expeditit duos senatores Hildesheimium ad salutandum Ministram a Schulinburg. Urbi imponetur numerosum praesidium.

Parisii 22. Febr. Monitor Parisinus notas reddit hodie complures privatas epistolas, quae in navigio ad Indiam occidentalem destinato, & a Classe Rupefortensi occupato, interceptae sunt. Continent illae varia iudicia de eventibus temporum usque ad medium mensis Novembris. In una earum inter caetera haec leguntur: Ex quodam publico scripto constat, accessisse Borussiam ad coalitionem. Hoc fulmen posest Napoleonem Bonaparte graviter percellere. Si hoc facto non fuerit ejus animus depressus, nulla unquam re frangetur amplius, Spero me proxime significare posse, eum victum esse, aut a Gallis, ejus dominatum pertaesis, hunc, vel illum modum contra ipsum constitutum.

acceptas ultimo tabellario ex Anglia veniente litteras, in quibus asserebatur occupata esse ab Anglis navis Borussia, ut sermo institueretur de hostilibus Angliae adversus Borussiam molitionibus. — Fama quoque Hamburgi percrebuit, plerasque urbes Imperiales in suo statu conservatum iri, haec autem fama didita est ex fonte, Francofurtensi simili. — Senatus Bremensis expedit duos senatores Hildesheimium ad salutandum Ministrum a Schulenburg. Urbi imponetur numerosum praesidium.

Parisiis 22. Febr. Monitor Parisinus notas reddit hodie complures privatas epistolas, quae in navigio ad Indiam occidentalem destinato, & a Classe Rupefortensi occupato, interceptae sunt. Continent illae varia judicia de eventibus temporum usque ad medium mensis Novembris. In una earum inter caetera haec leguntur: Ex quodam publico scripto constat, accessisse Borussiam ad coalitionem. Hoc fulmen posest Napoleonem Bonaparte graviter percellere. Si hoc facto non fuerit ejus animus depressus, nulla unquam re frangetur amplius, Spero me proxime significare posse, eum victum esse, aut a Gallis, ejus dominatum pertaes, hunc, vel illum modum contra ipsum constitutum.